

Feuillets 2-4 r° : L'épître dédicatoire suivante, que nous reproduisons intégralement, malgré son étendue, à cause de son importance considérable au point de vue historique :

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO SIGISMVNDO III, POLONIÆ
& SVECIÆ REGI, ETC. PETRVS ARCVDIVS S.P.D.

Mos est, serenissime rex, receptus inter mortales ut potentissima regna et imperia, imo et privatae familiæ, quæ a præclarissimis & fortissimis viris originem ducunt, eiusmodi insignia sibi eligant quæ & maiorum suorum res præclare gestas, si minus ad vivum exprimant, saltem adumbrent, suæque originem ductumque prosapiæ a cæterorum genere facile discernant. Nimirum una est virtus cui vera debetur & iure tribuitur laus. Si qua vero in familia virtus forte floruerit, hanc fere qui sunt eius generis cupidissime persequuntur, eiusdemque signa quam aptissima pervestigant. Verum in Iagellonia et Gustava inclyta gente (unde paternum maternumque genus, maxime rex, trahis) non una aliqua, sed plurimæ, eæque maximæ virtutes radicem fixerunt, ex quibus deinde uberrimæ laudes floruerunt, maximique heroes ad amplissimos honores ac summos dignitatis gradus pervenerunt. Hinc animantia regia clarissimum stemma distiguunt : aquila candida, equus, spicarum manipulus, quæ hominem fovent, iuvant, delectant; cæteraque id genus merito effulgent, quibus ad communem civitatum ac regnorum salutem se natos ostendunt qui tanta e stirpe procreantur.

Cæterum quod a mortalibus ad splendorem familiæ usurpatum est, hoc ab universi mundi opifice deo longe antea factum esse animadvertisimus. Quippe olim supremus omnium parens selectum a se populum Hebræorum certis quibusdam ritibus sacris, initiiis ac ceremoniis ab sensu minime remotis divino plane consilio seposuit. Idemque postea cœlestis imperator signa quædam et notas instituit, quibus qui sibi dant nomina, militari tanquam tessera inter se coniuncti, ab aliis quam longissime disiungerentur. Ea sunt septem ecclesiæ divina sacramenta, re, nomine, numero prorsus admiranda. Quæ sane arhitecti & duces novarum opinionum hæretici nostri tempo-

